

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCCLXXX**

**VD18 90514300**

Reverendissimo Domino D. Matthaeo Cardinali Sedunensi Comiti Valesii  
Des. Erasmus Roterodamus S. D.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

REVERENDISSIMO  
**D O M I N O D. M A T T H A E O**  
**C A R D I N A L I S E D U N E N S I C O M I T I V A L E S I I**  
**D E S. E R A S M U S R O T E R O D A M U S**

S. D.

**J**Am videbar ad huius curriculi metam pervenisse, et ipse mihi ferias destinabam in hoc duntaxat genere studiorum, propterea quod omnes epistolas explicuisse, quas Pauli germanas esse iudicabam, quibus adiunxi Petri duas et Judae unam, quod hae non solum consentirent cum Paulinis in vigore doctrinae evangelicae, verum maioribus etiam tenebris, quam illae, essent involutae. Siquidem quae fertur ad Hebreos, praeterquam quod multis argumentis coniici potest, non esse Pauli, quum stilo rhetorico verius, quam apostolico sit scripta, non perinde multum habet difficultatis, quemadmodum nec eae, quae Iacobo Ioannique tribuntur. Nam Ioannes ipsa sermonis copia veluti sui ipfius interpres est, et Iacobus fere versatur in locis communibus; quod genus sunt, ob Christum fortiter tolerandas res adversas, et in his Dei praesidiis maxime nitendum, homines non naturae Deive viatio, sed suapte culpa fieri malos, siue saeviat fortuna, siue blan-

diatur; non temere loquendum, aut irae indulgendum; non satis esse verbotenus tenere professionem evangelicam, nisi factis et affectibus exprimamus; inanem esse religionem, quae cum intemperantia linguae sit coniuncta, veram pietatem sitam esse in officiis, quibus proximum egentem misericorditer sublevamus; neminem aestimandum e bonis externis, sed e veris animi bonis, fidei professionem inutilem esse, ni piis factis comprobetur, nemini temere suscipiendam docendi provinciam, praecipuam vitae pestem nasci ex lingua effreni, quemadmodum contra, bona moderataque lingua nihil utilius; plurimum interesse inter mundanam et christianam sapientiam, non constare pacem, nisi submotis ex animo cupiditatibus humanis, nihil convenire huic mundo cum Deo, a Deo destitui, qui elati suis fidunt opibus, quum iis faveat ille, qui sibi diffisi ab ipso pendent; Deo facere iniuriam, qui condemnat ac iudicat proximum, evanidam ac fugacem esse praesentis vitae felicitatem; potentes, quibus hic impune licet quod libet, post acerbissimas datus poenas; vindictam malorum Deo iudici relinquendam esse, preces piorum hominum plurimum valere apud Deum, hoc officio maxime flecti Deum, ut nostris peccatis ignoscat, si nos fratri in nos peccanti condonemus, et si aberrantem amanter in viam revocemus, aliaque id genus, in quibus non potest admodum esse multum difficultatis in explicando, quum plurimum sit in praestando. Et tamen incident loca quaedam, in quibus erat nonnihil luctandum, velut in illo, in quo haeret Augustinus: *Quisquis offenderit in uno, factus est omnium reus.* Item quod negat fidem valere absque

Ggg 3



factis, quum Paulus ex adverso contendat, Abraham  
 non ex factis, sed ex fide contigisse, ut iustus habere-  
 tur apud Deum, et amicus Dei diceretur. Iam qua-  
 dam etiam hiare videntur, ut in connectendo nonnihil  
 fuerit negotii. Sed haec utcumque habent, quum pri-  
 mum hanc operam susciperem, non erat animus hoc  
 honoris impendere, nisi duobus illis apostolorum et  
 evangelicae philosophiae principibus, Paulo et Petro.  
 Et ecce iam metam amplexum, iam spectantem otium,  
 tua vox me revocat ad stadium, etiam atque etiam hor-  
 tens, ne quam huius laboris portionem aliis relinquam,  
 non solum ob hoc, quod iudicares studium hoc vel  
 praecipuam utilitatem allaturum evangelicae philo-  
 phiae candidatis, verum etiam quod quum his tempo-  
 ribus pene nihil sit intactum a sycophantarum morsibus,  
 tamen hoc unum opus adhuc Momis omnibus ~~μημη~~,  
 ut ita loquar, fuerit. Sequor quo tua vocat auctoritas,  
 reverendissime domine. Non me clam est, quam ex  
 animo faveas doctrinae vere christianaee, in qua tu non  
 paucos annos feliciter es versatus, quam non fice  
 fas faveas Erasmo, quam sis ingenio perspicaci, quam cer-  
 to, quam non vulgari iudicio. Quales si complures  
 haberet ecclesia catholica, multo florentiores et aliquan-  
 zo tranquilliores essent res christianaee. Quis autem spi-  
 ritus agitet istos, qui suae quoque famae et auctorita-  
 tis dispendio, cum iniuria sacrarum etiam concio-  
 num, tam pertinacibus studiis conantur, ut e nostris  
 Iucubrationibus minus fructus redeat ad studiosos, ipsi  
 viderint. Me magis movet aliorum iudicium, quos et  
 eruditio non vulgaris, et morum integritas ab omni  
 suspitione livoris ac malevolentiae vindicat. Ego nul-

lius obscuro gloriam, neminem e cathedra sua depello, nullius obstrepo studiis, non ambio dignitates, non venor quaestum, sed qualemcumque talentulum meum in commune profero. Cui mea non placent, liberum est abstinere, nos haec gratis largimur. Si quis volet dare meliora, favebimus utroque pollice. Nulli me factioni unquam admiscui, nemo meis scriptis vel pilo factus est nigrior. Nullo seculo non licuit alicubi dissentire a quamlibet probatis auctoribus. Si a solo Thoma dissentirem, videri possim in illum iniquior. Nunc et ab Ambroſio et ab Hieronymo et ab Augustino non raro dissentio, sed reverenter, in Thomam etiam candidior, quam ut multis bonis et eruditis viris gratum fit. Sed hanc reverentiam non opinor me debere Hugonibus aut Lyranis omnibus, etiam si Lyrano nonnihil debemus. Nullum fuit seculum tam felix, quin optima paucioribus placuerint, sed haud scio, an ullo plus licuerit inscitiae, audaciae, impudentiae, stoliditati, linguaeque petulantiae. Libris diffidunt, qui tacita doctorum hominum iudicia subire coguntur, res geritur linguis veneno tinctis, id que apud imperitam plebem, apud credulas mulierculas. In horum simplici credulitate, tota victoriae spes illis sita est. O fortis viros, qui hoc uno telo formidabiles sunt, quo metuuntur et scurrae. Et postea nobis imputant, si qui peius de ipsis sentiant, si pauciores sese adiungant sacrosancto ipsorum gregi, quum ipsi publicitus etiam declarent ipsa re, quanto propius absint ab impiis sycophantis, quam a verae pietatis cultoribus. Sed illis continget aliquando sua Nemesis, videlicet ipsis suo sibi iumento malum accersens.

Ggg 4



tibus, et continget alicunde malo nodo malus cuneus.  
Neque enim consultum arbitror, dimicare cum ventri-  
bus coniuratis, qui nec aures habent, nec mentem.  
Et viro christiano dignius est ferre scurras, quam imi-  
tari. Nos tuo tuique similium hortatu, sed in primis  
auspice Christo, pergemus et nos ipsos et alios huius-  
modi vigiliis ad meliora provocare. Bene vale, patro-  
ne cum primis colende. Lovanii XVII. Calend. Ian.  
Anno MDXX.

---

VITA



---

## VITA SANCTI IACOBI APOSTOLI

PER

DIVUM HIERONYMUM.

**J**acobus, qui appellatur frater domini, cognomen-  
to Iustus, ut nonnulli existimant, Joseph ex alia uxore,  
ut autem mihi videtur, Mariae sororis matris domini,  
cuius Ioannes in libro suo meminit, filius, post passio-  
nem domini statim ab apostolis Hierosolymorum epi-  
scopus ordinatus, unam tantum scripsit epistolam, quae  
de septem catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam  
sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempo-  
re procedente obtinuerit auctoritatem. Hegesippus vi-  
cinus apostolicorum temporum in quinto commenta-  
riorum libro de Iacobo narrans, ait: Suscepit eccle-  
siam Hierosolymae post apostolos frater domini Iaco-  
bus, cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi voca-  
bantur. Hic de utero matris sanctus fuit, vinum et fi-  
ceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam  
attensus est, nec unctus unguento, nec usus balneo.  
Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum. Siqui-  
dem vestibus laneis non utebatur, sed lineis, solusque  
ingrediebatur templum et flexibus genibus pro populo

Ggg 5

